

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Disputatio Theologica Solennis De Termino Salutis  
Humanae Peremptorio**

**Neumann, Johann Georg  
Green, Georg Sigismund**

**Vitembergae, 1700**

§. XIV

**urn:nbn:de:bsz:31-105555**

*Quaritur autem: an conversio & salus eorum simpliciter fuerit impossibilis? Nos negamus. Impiet. Phot. p. 484. Sic & B. Balduinus: Non quod hujusmodi peccatores nullum omnino ad pœnitentiam habeant aditum; hunc enim partim Calvinianorum, partim Novatianorum errorem toto pectore execramur: Item: Absit hoc & in æternum absit. Vide ejus Disp. XII, in Art. Smalc. §. 58. 65.*

## §. XIV.

Hactenus de iis, qui intra Ecclesiæ portœria consistunt: de quibus etiam potissimum quæstio movetur. Quoniam vero & ad illos extenditur controversia, qui extra Ecclesiam sunt: poterat quidem huc illud Apostoli referri: *quid ad nos attinet, etiam de his, qui foris sunt, judicare? 1. Cor. 5, 12.* Namq; hæc responsio curiosis & vanis hujusmodi quæstionibus plane satisfacit. Interim tamen, velut *ἐκ τῶν προτέρων* hic distinguendum censemus, *inter tempus gratiæ; & inter ipsummet regnum gratiæ.* Jam de paganis, & quibuscunque aliis infidelibus, dicendum non est, quod cives regni gratiæ existant, cum hostes potius Christiani nominis, appellandi sint: Interim tamen recte affirmatur, quod in tempore gratiæ adhuc degant. Nemo enim hominum a Messias beneficiis, dum vivit, excluditur. Est enim *constitutus in signum populorum, ut eum querant gentes, Es. 41, 10.* Ergo nullo non ætatis tempore quæri & inveniri potest. *Datus est in lucem gentium, ut sit Salus usque ad extremitatem terræ, Es. 49, 6.* Ergo nullibi locorum ad eundem interclusus est accessus. Ac, ne quis fatali quodam termino gentiles puter exclusos ab Ecclesia: *Christus intergerini parietis septum sustulit* ut gratia hæc omnibus ac singulis pateret. *Eph. 2, 14.* Et si proinde tam solenniter & clare non semper revocentur apostatæ, uti posterius Adami, per deletionem omnis carnis; Noachi successores,

cessores, per submerfionem in mari rubro, per retractionem solis atque diei, & alia innumera hujusmodi miracula, excitabantur, adeo, ut teste Scriptura, *omnes populi, sub omni caelo ista perceperunt. Deut. 2, 25.* tamen occultior quaedam *gratia* subinde révocavit illos, nec deserit hodiernum: dum non tantum per naturalem pædagogiam, ad inquirendum verum Deum invitantur, sed etiam  $\Phi\theta\gamma\gamma\omega\nu$  & sonum, *per omnes terras diffusum. Rom. 10, 20.* percipiant; qui certe vi sua divina multo efficacius trahit, quam fama de Salomone quondam sparsa. Verum hanc abyssum sapientiæ divinæ, altius, quam par est, scrutari non decet, *Rom. 11, 33.*

## §. XV.

Præterea V. non minimum erroris fulcimentum inde est, quod Dissidentes perpetuo confundunt pœnas temporales juxta ac æternas. Et temporales quidem illæ vel *antecedentes* sunt, nec cum ultimo hominis interitu conjunctæ; vel *finales*, ipsamque æterni supplicii irrogationem simul involvunt. Sic Deus aliquando terminum pœnarum impiis præfigit, qui tamen non prohibet, quo minus Deum implorare, & precibus expiare præsentem calamitatem, (utut frustra) soleant. *Prov. 1, 20, 32. Hiob. 27, 9, 10. Mich. 3, 4. Zach. 7, 11. Jerem. 7, 16, 11, 11, 14, 11, 15, 1, 6.* Sed tantum abest, ut dies hic afflictionis, terminus salutis *peremptorius*, ut potius *invitatorius* ad agnitionem peccati, & agendam pœnitentiam, dici rectius mereatur. Nec quicquam proinde ad rem faciunt, loca, quæ in speciem, tam operosæ probationis, hic cumulantur. *cap. 6, 7, 8, 9.* Nam pleraque omnia de *castigationibus* & *pœnis* divinis loquuntur, quibus, ceu *verbis*, ut ita dicam, *realibus* admonentur impii, ut *ἀποτροπίας* juxta ac *ὑπερόδους* Dei observent, & pœnas æternas evitare discant. Ecquis